DE NOMA
SEU
STOMACACE GANGRÆNOSA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE IX. MENS. SEPTEMBRIS A. MDCCCXLI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

FERDINANDUS HAASE
SILESIUS.

OPPONENTIBUS:
M. JOACHIMSTHAL, MED. ET CHIR. DR.
D. HOENIGER, MED. ET CHIR. CAND.
J. SAMOSTZ, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS FRIEDLÆNDERIANIS.

MATRI OPTIMAE

NEC NON

VIRO

HUMANISSIMO, AVUNCULO DILECTISSIMO

S. Steinitz,

FAUTORI BENIGNO

HOCCE TIROCINIUM QUALECUNQUE

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROŒMIUM.

Officio a majoribus constituto satisfacturus, quo dissertationem conscribere jussus sum, diu haesitavi in eligendo themate, quod et temporis et spatii angustiis responderet. Forte nomam observandi mihi oblata fuit occasio. Qui morbus terribilis ac detestabilis quum medico curandus rarior obveniat, casui accuratius operam navavi. Itaque non tam docens, quam discens ad pagellas componendas me contuli. Quam

ob rem hocce scriptum, tale quid, L. B., tibi videatur, quale non solum scientias meas aliquantulum ampliavit, sed etiam in medicina practica ansam mihi praebebit, morbo occurrendi. Opusculum igitur conscribenti potius, quam legenti operae pretium.

I. DE MORBI NOMINE.

Varia morbi nostri a scriptoribus inventa exstant nomina, quibus mali naturam significasse se putant. Affero hic nomina: Erosio oris, Gangraena acutissima callosa (Reimann), Necrosis infantilis (Boissier), Gangrène scorbutique des gencives dans les enfants (Berthe), Cheilocace, Ulocace, Catarrhus ad gingivas, Malum mortuum; quae omnia abolita omitto. Loquor tantum de significationibus adhuc usitatissimis: Noma, Cancer aquaticus (van Swieten), Stomatomalacia, Stomacace gangraenosa. Verbum Noma [1]) (a Graecorum νέμω i. e. depasco) nonnisi locum significat, ubi depascitur, qui destruitur ulcere exedenti. Quod quum in quavis corporis parte sedem habere possit, Noma significatio morbo nostro nequaquam videtur characteristica. Causam vero, cur hoc malum nominatur Cancer aquaticus, hancce profert van Swieten: [2]) „Nostrates malum hoc cancrum aquaticum so-

---

1) „Quandoque tamen ulcerationes oris diuturnae fiunt, ac aegre solubiles, et progressu temporis putredinosum quid acquirunt, quod a medicis nome, id est ulcus depascens, appellatur.“ Galeni opera, Basileae 1542. de compositione pharmacorum lib. VI. Col. 654.

2) Comment. in Boerh. Aphorism. Tom. 1. p. 749.

„lent vocare, quia cancri instar exedit omnia, et jugis „talis salivae fluor adest." Porro:[1]) „Cumque tunc „ingens plerumque adsit salivosi humoris profluvium „et semel natum hoc malum, nisi cito curetur, exedat „omnia vicina, cancrum aquaticum vocaverunt." Nec vero est, quod comprobemus hocce nomen „cancri aquatici." Quamquam enim malum hocce serpit, illaesisque vitiatas addit partes, tamen cancer verus, carcinoma malum est chronicum, constitutionale, dyscrasiae peculiaris, ut ita dicam, localisatio; quae omnia in stomacace contraria sunt. Et ipsa forma externa a cancro vero ita est diversa, ut jam Peter Bierken[2]) se non intelligere dicit, quomodo uterque morbus commutari possit. Quod attinet ad auctam salivae copiam, ex ore profluentem, hoc nil nisi symptoma est morbi et irritationis localis sequela. Nomen dein stomatomalaciae etiam rejiciendum videtur, quia natura morbi valde differt a malaciis. Nam qui remollitionem tunicarum ventriculi, gastromalacia affecti, ejusque degenerationem in massam albuminosam, subpellucidam, gelatinosam accuratius indagavit[3]), aut qui indolem ossium, osteomalacia laborantium, satis perspexit, is certo nil comparationis inveniet inter nostrum morbum et istos, malaciis annumerandos. Afficiuntur quidem in noma, ubi malum ad magnam pervenit gradum, ossa, sed contrario, ac in osteomalacia, modo. In osteomalacia partes solidae evanescunt ex ossibus, in noma

---

1) Ibid. p. 766.

2) Abhandlung von den Krebsschäden p. 120.

3) cf. P. Ch. A. Louis, Anatom.-Pathol. Untersuchungen übersetzt von Bünger, Berlin 827.

molles. In osteomalacia expertia fiunt per resorptionem ossa partium anorganicarum, calcis ejusque combinationum, dum massa cartilaginea restat; in noma calcinantur ossa, privantur per gangraenam partibus organicis, dum massae anorganicae reliquae manent. Uberius hanc rem infra explicabimus, disserentes, mali naturam gangraenam esse, ideoque aptissimum morbi nomen „stomacace gangraenosa" mihi videtur.

II. SYMPTOMATA ATQUE DECURSUS.

Distinguimus duce Schönlein[1]) duo morbi stadia, primum irritationis, alterum destructionis gangraenosae.

Primum stadium eo excellit, quod hyperaemia oris adest asthenica (non dicam inflammationem asthenicam, quia inflammatio asthenica nihil significat). Gingiva tumescit, fit livido-rubescens, calida, dolorifica, et tactu levissimo sanguinem reddit; saepe interna labia ac buccae, nec non inferior lingua eodem modo afficiuntur; aegrotus pruritum et ardorem sentit. Simul glandulae salivales tument, incitanturque ad edendum largius secretum, quod est tenue, ichorosum, striis cruentis interdum remixtum, et per noctem involuntarie profluit. Eodem tempore foetor ex ore fere intolerabilis fieri solet, ei haud dissimilis, qui post Calomelanos usum tempore salivationis existit; ex quo foetore solo, dum aegrotus alloqui velit medicum, saepe di-

1) Allgemeine u. specielle Pathol. u. Therapie Bd. I. p. 309. IV. Aufl. St. Gallen 839.

gnoscitur morbus. Tam tetro enim afflatur halitu, ut vel viri robusti, nec ullo modo sensibiles in animi deliquium fere cadant, et toto die molestissima nausea remaneat. Nonnunquam aegroti jam nunc febricitant. Pulsus est frequens, nec durus; cutis sicca, calida; caput obnebulatum, facies pallida. Tempus, per quod hoc stadium durat, est variabile a paucis diebus (1 — 2) usque ad hebdomadem et quod excedit (dies 8 — 10).

Stadium secundum. In superiore gingivae margine maculae existunt glaucae, in colorem griseum et nigrescentem abeuntes, quae celerrime increscentes, et inter se confluentes ulcus sphacelosum fingunt, quod, ut dentes gingiva et periosteo denudentur, labefactentur et decidant, efficit. Simul ulcus, odorem foetidum edens, progreditur, nisi medicamentis idoneis coerceri possit, ad labia et genas, quae partes intumescunt, durae, roseae, splendentes et fervidae fiunt, et rapide destruuntur.

Saepius autem, quam a gingiva, malum a labiis, praecipue a genis exorditur et decursum huncce persequitur. Ostendit se in labiis, aut quod etiam frequentius est, initio in buccis tumor cum nucleo duro, qui compressioni digito factae non cedit; superficies est candida, oleosi quasi adspectus, qualis observatur in oedemate, calor naturalis nonnihil auctus; color tumoris est roseus, e rubro pallens, ad peripheriam quasi exstinctus. Dum hanc mutationem in externa buccarum aut labiorum superficie fieri videmus, in interno latere buccarum, labiorum, praecipue in angulis oris macula albida, grisea aut livida, interdum plures maculae, saepe etiam flava quaedam vesicula, oriuntur.

Dolor in hoc loco valde augetur; vesicula rupta magnaque materiae sanguinolentae ac putridae copia edita, ulcus gangraenosum exoritur, areola rubra circumdatum, quod omnes partes adjacentes destruit, neque solum ad latitudinem, sed etiam ad altitudinem progreditur. Paucis (2 — 3) diebus praeterlapsis in externa superficie genarum aut labiorum jam conspicitur macula flavo-grisea, livida aut nigra, atque ita ulcus gignitur, quod a parietibus cavi oris ad partes vicinas prorepit, ita ut persaepe post tres vel septem dies gangraena deorsum usque ad collum (Saviard), sursum ultra nasum (van Lu Capdeville), usque ad oculos (Stelwagen) expandatur, ipsamque linguam faucesque ex parte subigat; cujus destructionis summae exemplum nobis tradidit Muys van Swieten[1]): „Tri„stissima, inquit, mala vidi, quorum non sine horrore „recordor, in pauperum infantibus, dum in initio ne„glectum fuerat hoc malum, vel perversa tractatum „medela. Gingivarum enim gangraena, proserpente „malo, non tantum destruxerat dentes, qui jam pro„dierant, sed et suturarum rudimenta in alveolis laten„tia sic corruperat, ut miselli illi jam ab ineunte aeta„te senectutis incommoda ferre debuerint, edentuli facti. „Sed levia haec sunt: corruptis gingivis totam fere „maxillam inferiorem osseam cecidisse vidi, linguam „erosam, labia, genas, mentum exesa omnino, donec mors „tantis malis finem imponeret.“

Deglutitio non est laesa, nisi morbus jam ad summam pervenit malignitatem; aegrotique ipsam istam salivam corrodentem absorbent, unde tractus intestinalis

---

1) l. c. Tom. I. pag. 766.

in sympathiam vocatur. Aegrotuli accusant tormina ventris, abdomen tympanitice est extensum, diarrhoea intrat colliquativa, et evacuantur massae pulposae, reactionis acidae, quae, mucosam coli tunicam corrodentes, tenesmum gignunt. Appetitus ciborum, qui usquedum integer manserat, evanescit; sequitur anorexia, sitis magna, sudores multi, frigidi, viscidi, interdum etiam ex naso oreque haemorrhagiae; somnus fere nullus; caput obnebulatum, facies pallida, oculi subsidentes; febris fit nervosa, lenta aut putrida. Pulsus est frequens, parvus, vacuus, saepe etiam intermittens et filiformis. Oedema oritur pedum atque manuum, saepe quoque ascites; extremitates frigidae, stupor, sopor, sultus tendinum, convulsiones, interdum petechiae. Tandem destructioni gangraenosae, febri lentae, nec non colliquationibus exortis vires consumtae obsistere nequeunt; et mors inevitabilis terribili huic malo finem imponit.

Sed non semper exitus letalis est, atque non pauca exstant exempla prosperi successus. Intumescentia genarum fit mollior, circulus ruber, quo tumor circumdatur, minuitur, ac linea demarcationis mortuum a vivo disjungitur. Suppuratio fit bona, et brevi tempore, haud raro jam una hebdomade, cicatrisatio facta est; ita quoque partes osseae restituuntur. Haec restitutio, tam brevi tempore facta, signum est essentiale hujus morbi; et praeter gangraenam nosocomialem vix ullus notus est morbus, quo partes destructae tam celeriter a natura renoventur. Quid quod sola vi medicatrice naturae nomam sanari posse, casus ille, a Cel. Barez in clinico suo pro morbis infantum relatus, docet, qui sub auspiciis medici homoeopathici ad

felicem exitum est perductus. Alium nomae casum eodem modo sanatum jam van Lil enarravit. Attamen in prospero hoc sanationis successu jactura dentium, cicatrix turpis genarum aut labiorum, aut ipsa maxillae inferioris anchylosis proditores remanent superati morbi.

III. DIAGNOSIS.

Morbus noster ex signis localibus tam peculiaria praebet symptomata, ut vix cum alio morbo commutari possit. Quare pauca tantum facienda mihi videntur verba de scorbuto, quocum stomacace gangraenosa in primo stadio aliquid simile habet, et quidem confundi potest. Differentiae hae: Scorbutus cacochymia est universalis, conjuncta cum habitu leucophlegmatico, doloribus trahentibus, ut in rheumatismo, qui nunquam in stomacace gangraenosa observantur; sed deest in scorbuto febris; deest salivae fluxus foetidissimae; gingiva spongiosa tangitur: dein decursus scorbuti est chronicus, nec unquam pathognomonicae istae destructiones gangraenosae obviam veniunt.

IV. AETIOLOGIA.

Hoc gangraenae genus in aetate infantili causas praedisponenets habet; nam secundum omnes observationes praecipue infantes, duos usque ad septem annos agentes, in hunc morbum inciderunt. Nec minus in senibus ipsis noma observata est, et Rust[1]) casum

1) Magazin der gesammten Heilkunde. Berlin 816. Bd. 1, S. 337.

stomacaces gangraenosae commemorat, ubi mulier, sexaginta tres annos nata, sanata est. Fischer et Billard malum illud in neonatis et lactantibus, Schoenlein in adultis tempore pubertatis observarunt. Omissa speciali et per infantilem ipsam aetatem atque per debilem, teneram laxamque constitutionem inducta dispositione praecipue afferenda sunt omnia debilitantia et humorum indolem alienantia irritamenta, omnes eventus in organismo, qui debitae sanguinis formationi et nutritioni justae impedimento sunt. Itaque jure victus tenuis, vilis, insipidus et egenus, commoratio in aëre humido et corrupto, domicilia angusta, sordida; immundities, abusus remediorum summe debilitantium diuturnior, imprimis Calomelanos, irritationem oris producentis, hic loci commemorentur opportet. Dein caro pinguis, salsa, caseus vetustissimus et pisces, et tandem conditiones climaticae huc referendae sunt. Minime ergo mirabimur, quod in hospitiis infantum expositorum, in orphanotropheis, in regionibus maritimis et humidis, in terris egestate pressis, generatim apud plebem infimam pauperrimamque hoc malum terribile et detestabile saepius invenitur, quam inter homines melioris et felicioris conditionis. Itaque noma in Suecia, Anglia, Hollandia, et quidem in iis regionibus, quae prope maris littora sitae sunt, endemice observatur; et Coates enarrat, in Asylo, Philadelphiae nosocomio, septuaginta infantes uno eodemque tempore morbo nostro laborasse. Nostra quidem in urbe, conditionibus obnoxiis non ita regentibus, bis terve per annum integrum observari licet hic morbus.

Singulae causae occasionales sunt: sordes gastricae, scorbutus, morbi acuti, praecipue exanthematum

decursus aut turbatus, aut regularis. Sic impetu repentino post Variolas (Dolaeus), Scarlatinam (Wendt,) Morbillos (Lymonds et Fischer), Rubeolas (Rey), irruit morbus. Dein post febres intermittentes et remittentes, post typhum, e causa venerea, nomam exortam viderunt medici. Quin vero morbum etiam ad catarrhales et rheumaticas affectiones accedere, immo quandoque sine ullis symptomatibus morbosis existere, Fischer, Siebert et Rust saepius observarunt.

Restat adhuc differentiam hujus morbi commemorare ex varietate caussarum productam divisionisque mentionem facere, a Richter [1]) secundum caussas occasionales constitutae. Sumit nempe Richter principium divisionis ex causis, morbum producentibus, constituitque tres nomae species: nomam scorbuticam, gastricam et metastaticam. Sed non habeo, quod consentiam. Tres enim hae causae non solae ad procreandam stomacacen gangraenosam faciunt, et eodem jure ex ceteris causis occasionalibus liceat opportet constituere nomam syphiliticam, mercurialem, catarrhalem, rheumaticam et nomam primariam i. e. quae sine ullis symptomatibus morbosis praecedentibus sponte exoritur. Ceterum noma, quam dicit metastaticam, frequentissimum mali genus habendum est, et omnes, quos ipse observavi, casus ex crisi translatoria metastatice morbos acutos sunt secuti.

---

1) A. L. Richter, der Wasserkrebs der Kinder, Berlin 828. Derselbe, Beiträge zur Lehre vom Wasserkrebs, ein Nachtrag zu der Monographie, Berlin 832. Derselbe, Bemerkungen über den Brand der Kinder, Berlin 834.

V. ANATOMIA.

Secundum Wiegand[1]) cadavera diutius quam plerumque fieri solet, calorem quendam continent, valde sunt flexibilia et mox cum magno foetore in putredinem transeunt; cutis est languida, livida, intumescentiae oedematodis atque oleosae superficiei, musculi sunt pallidi, sanguis cruore fere caret. Froriep[2]) praeterea in uno morbi casu aliquid sanguinis turbidi, serosi, sine coagulo, in dimidio dextro cordis, plura tubercula emollita in apice pulmonum, atque omnia viscera abdominalia fere sanguinis vacua invenit. Sed multo majoris momenti ipsae partes destructae iisque vicinae nobis videntur; nam cultro anatomico perquirentes, putrescentiam, necrosin in interna labiorum aut genarum superficie incipientem, rapideque proserpentem cognoscimus[3]). Exorto nempe, ut jam descripsimus, in interna genarum aut labiorum tunica mucosa, post stagnationem sanguinis, partibus colorem e livido rubescentem impertientis, tumore duriusculo, cui in externa facie rubor erysipelatodes respondit; mox tunica mucosa, musculi, vasa, nervi aliaeque partes adjacentes in massam villoso-pulposam, ichoroso-corrodentem dissolvuntur; panniculus adiposus in substantiam pallide flavam, gelatinoso-oleosam deliquescendo mutatur; integumentaque communia, ob telam cellulosam necroticam subjacentem, e flavo rubra, oedematosaque appa-

---

1) Der Wasserkrebs, e. Monogr. von Ign. Wiegand, Erlangen 830.
2) Klin. Kupfertafeln, Tab. 55, Weimar 836.
3) Rokitansky, Handbuch der patholog. Anat. III. Bd. S. 257. Wien 841.

rent, ut in pseudoerysipelate, et aut simili modo eandem patiuntur destructionem, aut commutantur in escharam siccam fusco nigram (mummificirt). Sic equidem in casu quem observandi in nosocomio Caritatis mihi oblata fuit occasio, totum labium inferius usque ad mentum genasque huncce adspectum escharae siccae, e fusco nigrescentis assumserat, et in circuitu destructionis intumescentia illa pathognomonica et rubor erysipelatodes, cujus causa in tela cellulosa necrotica subjacente sita est, et de quo antea diximus, observabantur. Ceterae oris partes erant inflammatae, crustis obtectae nigris. Quamnam extensionem hic processus sibi vindicare possit, jam supra morbi describentes decursum exposuimus. Non parcitur genis, labiis, gingivis, naribus; decidunt dentes denudati, vacillantes; processus alveolares nigri redduntur, friabiles; et ipsa ossa maxillaria sub forma calcinationis (Froriep) similem occumbunt destructionem.

Jam vero nonnulla verba facienda videntur de phaenomenis pathologicis, in reliquis organis patentibus, quae quidem Wiegand ita describit. Membranae cerebri saepe sanguine repletae inveniuntur, exsudata serosa inter duram matrem atque arachnoideam; substantia cerebri, praecipue medullaris, medulla oblongata, et pons Varolii interdum dissolutae; ventriculi magnam liquoris serosi copiam continent; cor, pulmones sanguinis vacui, in abdominis cavitate exsudationes serosae, concretiones omenti cum intestinis, glandulae mesenteriales induratae, viscera abdominalia sanguine carentia reperiebantur. Sed vix monendum, haec phaenomena pathica ex morbis, nomam antegressis, maxima ex parte esse secuta.

VI. DE NATURA MORBI.

Valde inter se discrepant de natura morbi auctores. Joh. Muys ex humore acido-corrosivo sanguinis cancrum aquaticum exoriri dixit; secundum Bidloo hydatidae inflammatae in ulcus putridum transeunt. Propius Fischer rem attingit, inter erysipelas neonatorum, indurationem telae cellulosae atque cancrum aquaticum analogiam esse putans. Praecipue vero tres prolatae sunt sententiae: alii credunt, morbi naturam esse scorbutum, alii emollitionem, alii gangraenam.

De caussis, nomam producentibus disserentes, jam supra scorbuti fecimus mentionem; sed ideo non sequitur, morbi indolem esse scorbutum. Multi medici, qui de scorbuto scripserunt, morbum nostrum plane omittunt, dum alii tradunt, infantes constitutione robusta gaudentes in cancrum aquaticum incidisse. Et ipse in diagnosi stabilienda differentias inter nomam atque scorbutum satis enucleasse mihi videor, ita ut vix duo hi morbi inter se confundi possint.

Klaatsch[1]), Hesse[2]), Wiegand[3]) et Froriep[4]) naturam morbi emollitionem esse censent. Secundum Klaatsch noma dissolutio est in elementa animalia, et comparanda cum putrescentia uteri et gastromalacia; componunt enim ex ejus observationi-

---

1) Hufeland's Journal. B. 56. Berlin, 823. Januar, S. 100 — 118. und Febr. S. 45 — 63.

2) Ueb. d. Erweich. der Gewebe u. Organe des menchl. Körpers. Leipz. 827.

3) l. c. S. 138.

4) l. c. Tab. 55. u. 56.

bus, cutis, musculi atque tunica mucosa massam aequalem, homogeneam, gelatinosam, cujus singula filamenta penicillo detergi possunt. Wiegand credit, cancrum aquaticum e conditione morbosa vegetationis originem ducere, itaque inflammationem oriri asthenicam tunicae mucosae, quae brevi tempore in emollitionem transeat. Froriep disquisitionibus anatomico-pathologicis nomam emollitionibus adnumerandam esse demonstrare studuit, et gastromalaciam, enteromalaciam, oesophagomalaciam, pharyngomalaciam et cheilomalaciam sive nomam eodem modo exoriri credit. Nec vero est, quod profitear aut propugnem hanc de morbi natura opinionem. Etenim omnino indoles eorum morborum, qui malaciis annumerantur, non satis est nota, et certe est arbitrii, unum alterumve morbum huic ordini adjungere. Tum vero ea, quae in morbis ad malacias pertinentibus observantur, facta anatomica aliter atque in nostro morbo se habent. Est quidem in gastromalacia, ut jam alibi diximus, degeneratio tunicarum ventriculi in massam albuminosam, subpellucidam, gelatinosam, quacum saepe perforatio fundi ventriculi conjuncta est. Sed meherele valde discrepat haec degeneratio a destructione per nomam producta. Ibi partes dissolvuntur in massam villoso-pulposam, ichoroso-corrodentem; totus adspectus partium destructarum ulceris est sphacelosi; et foetidissimus iste odor profecto non exinde derivari potest, quod saliva saniosa, cujus magna secernitur copia, aëri sit exposita. Sani enim hominis saliva, aëri per plures dies exposita, tam tetro nos non afflabit halitu, quali glandularum salivalium, noma affectarum, secretum, quod non nisi ante paucas horas profluxerat. Quod vero

attinet ad destructionem ossium, partibus organicis sive cartilagineis privatorum, quis est, qui contendat, ejusmodi degenerationem emollitionis ferre aut vestigia aut signa? In osteomalacia ex ossibus partes terreae sive anorganicae absorptione removentur, remanentque partes cartilagineae sive organicae, unde flexibilitas ista insignis et remollitio fit. Ossa vero calcinata, quorum superficies poris obtecta videtur, et quae inde friabilia sunt, non nisi destructione gangraenosa in hunc statum commutari queunt (Schönlein).

Inter eos, qui nomae indolem gangraenae vindicare studebant, ex prioribus scriptoribus van Swieten est nominandus. Nuper hanc sententiam praecipue A. L. Richter [1]) defendit; et Lobstein [2]) nomam metaphlogosin dicit telae cellulosae, rapide in necrosin transeuntis; atque cum decubitu in febribus malignis et anthrace comparandam censet. Legimus in ejus libro: „Diese Krankheit beginnt mit einer röthlichen und erysipelatösen Pustel, welche bald darauf eine schwarze Farbe annimmt, sehr schnell die Lippen, die Zunge, die Wangen und sogar die Nase ergreift, und sie einer eigenthümlichen Fäulniss preisgibt, während sie gleichzeitig die Knochen nekrotisch befällt. Diese Affection unterscheidet sich vom Karbunkel (Anthrax) dadurch, dass letzterer seinen Sitz wesentlich im Fettzellgewebe hat.“ Commemorandus quoque hic est Rokitansky, cujus sententiam jam alibi protuli. Equidem, rem meditatus, huic de gangrae-

---

1) In scriptis supra (p. 17.) laudatis.

2) Lehrbuch der patholog. Anatomie, deutsch bearbeitet von Neurohr. Bd. II. p. 26. sq. Stuttgard, 835.

nosa morbi indole opinioni me adjunxi, hancce ferens de origine et natura morbi sententiam: Exoritur aut per causas, irritationem oris producentes, in sectione de aetiologia allatas, aut metastatice, aut sine ulla causa occasionali oblata hyperaemia oris asthenica. Stagnat in locis affectis sanguis, mutatque conditionem chemicam; et exinde ulcera sphacelosa gignuntur, destructionem istam gangraenosam efficientia, quam jam descripsimus. Caussae vero, quae animum meum ad hanc de gangraenosa morbi indole sententiam amplectendam adducant, partim jam ex defensione aut refutatione ceterarum opinionum sequuntur; quare brevi tantum repetam. Sunt hae: Decursus morbi acutissimus; hyperaemia, quae gangraenam antecedit, asthenica; partialis ossium necrosis, eorumque calcinatio; totus omnino habitus, omni putrido et gangraenoso ulceri proprius; odor foetidissimus, et postremo, si malum coërcere contigit, ratio sanationis, quae non solum per lineam demarcationis fit, ut in gangraena nosocomiali, sed etiam eadem celeritate miranda. —

VII. PROGNOSIS.

Noma est malum gravissimum atque vehementissimum; et quamquam haud pauca tradita sunt exempla, ubi contigerit malo finem imponere, aegrotique sanati sint, tamen generatim exitus est letalis. Destructio gangraenosa, summa prostratio virium, status colliquativus et ipsa mors tam celeriter nonnunquam jam intra paucos dies intrabant, ut vix tempus relictum es-

set, apta remedia adhibendi. Sed quae modo diximus, de ea tantum valet stomacace gangraenosa, quae jam secundum iniit stadium. In primo quidem stadio laetior affulgeret prognosis, si cita adhiberetur medela; sed vulgo aegrotuli ab imperitis, affectionem parvi vel minimi aestimantibus, sunt circumdati, nec nisi malum ad malignitatis quendam pervenit gradum, medicus arcessitur.

Attamen tum quoque, quum secundum intravit stadium, non desperandum est de successu; nam vix credibile est, quae quantaque damna vis medicatrix naturae brevi tempore restaurare possit, ita van Lil [1]) casum observavit, ubi tota maxilla superior cum palato et dentibus quattuor hebdomadibus restituta est. In singulis casibus praecipue sequentibus ex momentis prognosis est metienda:

1. Ex causis. Si per longius tempus supra memorata momenta debilitantia egerunt, semper funestum metuamus necesse est eventum; laetior affulget prognosis, si morbus merus medicis curandus obvenit. Quare melior ridet spes, si malum e causa gastrica exortum est, quam e metastasi; in malo, e causa scorbutica exorto, plerumque exitus letalis est.

2. Ex aetate. Quo minor aetate, et quo imbecillior ac tenerior infans est, eo minus faustum eventum sperare licet; nam quemadmodum prima aetas ad hunc morbum maxime prona est, ita omnium minime valet ad destructionem, quae tenerem et laxam telam, qualem in labiis habemus, depascit, coërcendam, morbique effectum insontem reddendum. Neonatos, hoc

1) Abhandl. für prakt. Aerzte Bd. II. 1. pag. 127.

morbo affectos, semper celerrime et misserrime periisse affirmant medici. —

3. Ex eruptione morbi. Quae eruptio si in locis diversissimis simul apparet, testimonium perspicuum et immutabile edit, totum corpus praegressarum causarum effectu in sympathiam vocatum, localemque morbum nihil aliud esse, nisi reflexam effigiem universi cujusdam, seu in toto organismo regentis processus pathologici. Talibus rationibus et conditionibus igitur multo minus effectibus vis medicatricis naturae fidere possumus, et re vera his in casibus, qui usque ad hoc tempus medicis curandi obvenerunt, infantes fere omnes perierunt.

VIII. THERAPIA.

I. Indicatio causalis omnes conditiones noxias, quae faciant ad oriendum morbum, ab aegrotis evitari jubet. Sunt removendi e domiciliis angustis, sordidis, ex aëre humido, pravo, et transponendi in aedibus siccis, calidis. Loco victus insipidi, vilis in stadio primo mali vegetabilia pomaria, in stadio secundo, viribus debilitatis, cibi nutrientes, roborantes in usum sunt vocanda. Tum omnino medela est instituenda ea, quae remediis utitur ex varietate causarum, aetatis atque indolis singularis, et aliter agit in casibus, quibus symptomata gastrosis eminent, ac in iis, ubi signa scorbutica exstant.

II. Indicatio morbi destructionem gangraenosam imminentem avertere, exortamque coërcere vult, viribusque deficientibus auxilio venire. Hunc in finem

quae a medicis summa sunt adhibita remedia interna et externa, nunc afferam, aptaque commendabo.

A. Remedia interna.

1. Emetica et laxantia ab omnibus medicis in usum sunt vocata, cum gastrica urgerent symptomata, et certe prodest in initio morbi, si sordes superne tendunt, remedium vomitorium, sin deorsum, laxativum.

2. Acida mineralia et vegetabilia cum dissolutioni sanguinis respondent, tum, si signa scorbutica eorum usum postulant, feliciter administrantur. Nominanda autem sunt: Acidum sulphuricum, Acidum phosphoricum et Acidum citricum, quae optime conjunguntur cum . . . .

3. Medicaminibus excitantibus et roborantibus, quae, si vires collabuntur, nec, ubi destructio jam sisti coeperat, ad restituendum materiae organicae damnum sufficiunt, faustissimo cum eventu adhibita sunt. Itaque Calamus, Cascarilla, Valeriana, Arnica, Angelica, Serpentaria, Imperatoria, Camphora, Infusum Chinae, Extractum frigide paratum, Tinctura Chinae cum spiritu sulphurico-aethereo, Chininum sulphuricum, Vinum et balnea aromatica maximi erunt momenti. Praecipue vero diaeta nutriens, roborans, digestu facilis strenue observanda est.

Quae medicamina cuncta quamquam saluberrima saepissime sese praestiterunt, medicique et naturae conamen sanationis adjuverunt, attamen effectum non raro justo serius exhibere incipiunt. Itaque in affectionem localem nec satis valide agere, nec satis cito

progressus ejus inhibere possunt. Quare non possumus, quin maximam fidem in remediis externe adhibendis ponamus.

B. Remedia externa.

1. Hirudinum et scarificationum applicatione Riverius, Saviard et Fischer sanguinem detraxerunt incipiente morbo. Cum vero hyperaemia sit asthenica, exinde haec asthenia nonnisi augeatur opportet; et cum sanguis dissolutioni sit prona, timendum, ne ipsa vulnera, per hirudines et scarificationes effecta, in ulcus tale gangraenosum abeant.

2. Adstringentia propter vim tonicam et roborantem praebent effectum. Sic fomentationes frigidae applicari poterunt. Itaque jam van Swieten ammonium muriaticum et Kali nitricum in aqua soluta cum aceto vini aut succo citri adhibebat. Wendt fomentationes laudat ex infuso specierum aromaticarum atque arnicae cum aceto vini et spiritu camphorato; Coates cuprum sulphuricum et pulverem corticis chinae cum aqua; alii alias laudant compositiones, quae omnes in stadio primo prosunt, in secundo tamen non satis efficaces sese praebent. Tum ex hoc medicaminum ordine laudantur unguentum aegyptiacum (Battus), aliaeque cupri compositiones (Riverius, Coates).

3. Acida ob vim adstrigentem et antisepticam merito efficacissima existimantur remedia. Afferenda sunt acidum sulphuricum et acidum muriaticum, quae usque ad hoc tempus (van de Voorde, Stalpart

van de Wiel, Jourdain, Benedict, Lund, Saviard, van Swieten, Stelwagen, Siewerd, Poupart) prae ceteris optimos tulerunt fructus. Itaque non solum initio morbi, ubi ex stagnatione sanguinis macula cinerea existit, sed etiam tum, quum propensio ad sphacelum animadvertitur, ut plurimum valent haec remedia. Ut in ore adhibeantur, Richter ea cum melle in formam linctus redigi, eoque locum gangraenosum illiniri jubet; partibus externis per linteum carptum admoveantur. Gangraena vero exculta, substantia organica jam nigrescente, utrumque acidum purum adhibendum est, ut eschara obtineatur, quae partes finitimas ad inflammationem, mali extentioni obstantem, adigat. Simulatque in peripheria ulceris gangraenosi orbem inflammatorium, quasi limitem existere videmus, acida mineralia seponenda sunt atque remedia balsamica administranda, qualia habentur unguentum basilicum cum tinctura Myrrhae aliaque, quae suppurationem provocant, escharam solvunt, granulationique maxime favent.

Acidum pyrolignosum nupperrime Klaatsch et Reimann eodem modo prosperrimo cum effectu adhibuerunt.

4. Excisione partium destructarum Stelwagen nomam sanasse dicitur. Vulnere sutura circumvoluta conjuncto, et decocto scordii, abrotani, absynthii cum aceto vini applicato, aegrotus paucis diebus restitutus est.

5. Arsenicum [1]) Dr. Vogel, professor Med. et

---

1) v. Gräfe's u. Walther's Journal, Bd. XII. St. 4.

Chir. in universitate Casaniana ordinarius, egregio cum fructu adhibuit, ubi omnia alia remedia vana et inutilia fuerant.

6. Ferrum denique candens, jam a Capdeville, Chopart et Desault laudatum, ab Isnard-Cevoule et Baron prospero eventu adhibitum, efficacissimum est remedium in tractanda stomacace gangraenosa; nam secundum observationes, in nosocomio Caritatis factas, hocce remedium omnium plurimum valuit, prosperrimoque coronatum est successu.

V I T A.

Ego, Ferdinandus Haase, natus sum die XIX mensis Decembris anno hujus saeculi XVIII Ratiboriae, Silesiae superioris oppido, patre Jacobo, cujus obitum ex novem annis valde lugeo, matre Minna, e gente Pollack, quam optimam ut numen benignum mihi servet perdiu, quotidie precor. Sacra confiteor veteris fidei. Gymnasium frequentavi Ratiboriense, cujus moderatorum spectatissimorum, imprimis Dir. Haenisch, Dr. Müller ac Aem. Pinzger beati non possum ,quin grato animo recorder. Auctumno anni h. s. XXXVII, testimonio maturitatis instructus, almam adii Viadrinam, ubi rectore Ill. Bernstein et Decano spectabili Ill. Betschler civibus academicis facultatis medicae adscriptus per quinque semestria hisce interfui lectionibus: Chirurgicis Ill. Benedict; botanicis Ill. Nees ab Esenbeck; chemicis Ill. Fischer; mineralogicis Ill. Glocker; de arte

formulas medicas concinnandi Ill. Goeppert; zoologicis Ill. Gravenhorst; semioticis et de encyclopaedia medica Ill. Henschel; anatomicis, de sectione forensi et historia foetus Ill. Otto; physicis Ill. Pohl; physiologicis et pathologicis Ill. Purkinje; therapeuticis Ill. Remer; de morbis venereis Cel. Remer; hodegeticis Ill. Schoen beat.; logicis et psychologicis Ill. Thilo; de materia medica et de morbis mentis Ill. Wendt. In theatro anatomico Ill. Otto, in clinico medico Ill. Remer duces mihi fuerunt, nec non in excursionibus botanicis Ill. Goeppert.

Mense Majo anni h. s. XL. Berolinum me contuli, ubi Rectore Ill. Twesten et Decano spectabili Ill. Hecker in ordinem medicum receptus sum. Ibi scholas hasce frequentavi:

Obstetricias Ill. Busch; de medicinae historia Ill. Hecker; de anatomia pathologica et physiologia generationis Ill. Müller. Clinicis interfui medicis: Cel. Barez, Ill. Osann, Ill. Schoenlein, Cel. Wolff; chirurgico-ophthalmiatricis Ill. Beat. de Graefe, Ill. Dieffenbach; obstetriciis Ill. Busch.

Quibus viris summis optime de me meritis palam nunc gratias ago quam maximas, semperque habebo.

THESES.

1. Osteomalacia est morbus sui generis.
2. In paralysi faciali dissectio mimicorum sani faciei dimidii musculorum remedium princeps.
3. Post amputationem primam reunionem semper esse tentandam.
4. Nomae indolem gangraenam esse.
